

71. LOTUS BELGRADICA; *foliis quinatis, cuneiformibus; caule erecto; siliquis calyce sesquolongioribus, solitariis, erectis, glabris.*

DESCR. *Caulis* erectus, pedalis, teres, striatus, villosus. *Folia* sessilia, quinata, vel bijuga cum impari. *Foliola* versus impar gradatim majora, semipollicaria, ovato-oblonga, obtusa cum acumine, subtus villosa. *Peduncululi* solitarii, axillares, erecti, apice umbelliferi. Flores non vidi. *Legumina* oblonga, teretia, mucrone terminata, ferruginea, disperma, non binata; *calyce* persistente, puniceo, villoso, laciniato, pedicellis brevibus. *Semina* globosa, nigra, hilo albo; singulo isthmo distincto.

Ad Belgrad, pagum prope Constantinop.

72. L. CRETICA; *foliis lanceolatis, fasciculatis.*

Caulis fruticosus. *Folia* quina ad unum latus caulis sessilia, seu fasciculata, lanceolata, ungue breviora. Inter *Semina* *isthmus* tenuissimus; qui forsitan in omnibus Loti speciebus adest, quamvis seminibus maturis hi isthmi exolefant & retrahantur.

Alexandria. Arab. *Æsibe.*



SYNGENESIA.

73. SCORZONERA HISPIDA; *foliis linearibus, dentatis, ciliatis; scapis unifloris.*

DESCR. *Folia* radicalia plurima, lineari-lanceolata, dentato-sinuata, pilis rigidis hispida. *Scapi* plures ex una radice, spithamales, pilosi, uno alterove foliolo fetiformi, acuto. *Calyx* hispidus, imbricatus. *Semina* ferruginea; pappo plumoso. *Flores* flavi.

Ad Estac prope Massiliam; in montibus.

74. SONCHUS OLERACEUS; *foliis basi cordatis, amplexicaulibus, lanceolatis, sinuatis, denticulatis.*

Djöbla.

75. LACTUCA SINUATA.

DESCR. *Caulis* pedalis; aculeis in dimidio inferiori sparsis, confertis; albis. *Folia* inferiora 4 poll. superiora minora, hastato-lanceolata, sessilia, glabra, integra; ciliata aculeis. In *Lact.* *saligna* omnia folia, sed in hac majora tantum carina aculeata. *Flores* in racemis ramorum & caulis terminalibus, bracteola flava singulis subjecta. Valde lactescit.

Natolice

Natoliæ in arvis ad Dardanellos; etiam *Alexandriæ*. Græc. Γαλαξίδα.;
Hujus plantæ & *Chondrillæ* flores in herbario voraciter destruunt
Tineæ.

76. L. DECORTICATA; foliis lanceolatis; dentato-sinuatis, glabris, appendice utrinque lineari.

DESCR. *Caulis* cubitalis, erectus, teres, ramosus, glaber, albus; per intervalla longitudinalia appendices foliorum decurrentes elatæ, virides, corticem mentientes; adeo ut caulis inter eas faciem decorticati habeat. *Folia* ima pinnata, superiora lanceolata; omnia sinuato-dentata, sessilia, glabra. *Pedunculi* spicæ longæ; caulis & ramorum terminales. *Flores* sessiles, bracteola lanceolata, decurrente eodem modo ac folia. *Calyx* pollicaris, cylindricus, imbricatus. *Flosculi* 5, flavi. *Semina* brunea; pappo stipitato.

In Insula *Imros* & circa *Constantinop.*

77. LEONTODON MEGALORHIZON; scapo piloso; calycis laciniis ad apicem gibbis; foliis dentato-pinnatifidis, glabris.

DESCR. *Scapus* pilosus pilis longis, raris, flaccidis. *Calyx* erecto-patulus. *Foliola* versus apicem subtus gibba. *Infima* foliola laxa, erecto-patula, margine albescencia, membranacea. *Flosculi* radii subtus violacei, margine lutei. *Radix* crassitie digiti, longa, fusiformis, lacte amarissima.

Ad *Dardanellos*.

78. HIERACIUM HISPIDUM; foliis oblongo-lanceolatis, subdentatis.

DESCR. *Caulis* erectus, foliosus, hispidus. *Folia* oblongo-lanceolata, subtus hispida, subdentata. *Folia* caulina summa integra. *Pedunculi* axillares, squamosi. *Flores* ad apicem caulis subpaniculati, flavi.

Ad *Constantinop.* in sylvis rarius.

79. ECHINOPS SPHEROCEPHALUS; foliis pinnatis, spinosis.

Calyx uniflorus. *Capitula* cærulea, magna, tripollicaria. *Calyculi* cincti lana longa, densa.

Tenedos. In *Natolia* vidi similem huic, sed *capitulo unico*.

80. E. STRIGOSUS; caule multifloro; foliis supra laniferis; capitulis cæruleis, parvis, vix pollicaribus.

Tenedos. Græc. Κάθαξ ἀγγαδο.